

LECTIONARIUM MISSAE

PROPRIUM DIOECESIS SPIRENSIS

Die 27 ianuarii

B. PAULI IOSEPHI NARDINI, PRESBYTERI

LECTIO PRIMA Eccl 4,1-5a.8-9a.10a.11

Léctio
libri Ecclesiastici.

- 1 **Fili,**
eleemosynam pauperis ne defraudes
et oculos tuos ne transvertas a paupere.
- 2 **Animam esurientem ne contristaveris**
et non exasperes pauperem in inopia sua.
- 3 **Cor inopis ne afflixeris**
et non protrahas datum angustianti.
- 4 **Rogationem contribulati ne abicias et non avertas faciem**
tuam ab egeno.
- 5a **Ab inope ne avertas oculos tuos.**
- 8 **Declina pauperi sine tristitia aurem tuam.**
et redde debitum tuum
et responde illi pacifica in mansuetudine.
- 9a **Libera eum,**
qui iniuriam patitur,
de manu opprimentis eum.
- 10 **Esto pupillis misericors ut pater et eris velut filius Altissimi.**

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 26,4-10 (R: 30a)

R Faciem tuam, Domine, requiram

- 4 **Unum petii a Domino, hoc requiram:**
ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae,
ut videam voluptatem Domini
et visitem templum eius. – **R**

- 5 Quoniam occultabit me in tentorio suo, in die malorum.
Abscondet me in abscondito tabernaculi sui,
in petra exaltabit me.
- 6 Et nunc exaltatur caput meum
super inimicos meos in circuitu meo.
Immolabo in tabernaculo eius hostias vociferationis,
Cantabo et psalmum dicam Domino. – R
- 7 Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi,
miserere mei et exaudi me.
- 8 De te dixit cor meum: “Exquirite faciem eius”;
faciem tuam, Domine, requiram. – R
- 9 Ne avertas faciem tuam a me,
ne declines in ira tua a servo tuo.
Adiutor meus es tu, ne me reicias,
neque derelinquas me, Deus salutis meae.
- 10 Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me,
Dominus autem assumpsit me. – R

LECTIO SECUNDA Iac 2,14-24.26.(aut brevior 2,14-18)

Léctio

Epístolæ beáti Iacobi Apostoli.

- 14 Quid proderit,
fratres mei,
si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?
Numquid poterit fides salvare eum?
- 15 Si frater aut soror nudi sunt
et indigent victu cotidiano,
16 dicat autem aliquis de vobis illis:
“Ite in pace, calefacimini et saturamini”,
non dederitis autem eis,
quae necessaria sunt corporis,
quid proderit?
- 17 Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.
18 Sed dicet quis:
“Tu fidem habes, et ego opera habeo.”
Ostende mihi fidem tuam sine operibus,
et ego tibi ostendam ex operibus meis fidem.
- 19 Tu credis, quoniam unus est Deus?
Bene facis; et daemones credunt et contremiscunt!
20 Vis autem scire,

**o homo inanis,
quoniam fides sine operibus otiosa est?**

- 21 Abraham, pater noster, nonne ex operibus iustificatus est
offerens Isaac filium suum super altare?**
- 22 Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius,
et ex operibus fides consummata est;**
- 23 et suppleta est Scriptura dicens:
“Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam”,
et amicus Dei appellatus est.**
- 24 Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum.**
- 26 Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus
mortua est.**

Verbum Dómini.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Apoc 15,3

Allelúia.

**Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustae et verae sunt
viae tuae, rex saeculorum.**

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 25,31-40

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus:

- 31 Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua,
et omnes angeli cum eo,
tunc sedebit super thronum gloriae suae.**
- 32 Et congregabuntur ante eum omnes gentes;
et separabit eos ab invicem,
sicut pastor segregat oves ab haedis,**
- 33 et statuet oves quidem a dextris suis,
haedos autem a sinistris.**
- 34 Tunc dicet Rex his,
qui a dextris eius erunt:**

»Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

- 35 Esurivi enim, et dedistis mihi manducare;
sitivi, et dedistis mihi bibere;
hospes eram, et collegistis me;
36 nudus, et operuistis me;
infirmus, et visitastis me;
in carcere eram, et venistis ad me«.

37 Tunc respondebunt ei iusti dicentes:

»Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus,
aut sitientem et dedimus tibi potum?

38 Quando autem te vidimus hospitem et collegimus,
aut nudum et cooperuimus?

39 Quando autem te vidimus infirmum
aut in carcere et venimus ad te?«

40 Et respondens Rex dicet illis:

»Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis,
mihi fecistis.«

Verbum Dómini.

Die 4 maii

B. GUIDONIS, ABBATIS

LECTIO PRIMA Act 4,32-35

Cor unum et anima una.

Léctio

Actuum Apostolorum.

- 32 Multitúdinis credéntium
erat cor unum et ánima una;
nec quisquam éorum,
quæ possidébat,
áliquid suum esse dicébat,
sed erant illis ómnia commúnia.

- 33 Et virtúte magna reddébant
Apóstoli testimónium resurrectionis Iesu Christi Dómini nostri;
et grátia magna erat in ómnibus illis.

- 34 Neque enim quisquam egens erat inter illos:
quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant,
vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant,
- 35 et ponébant ante pedes Apostolórum;
dividebátur autem síngulis, prout cuique opus erat.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 15,1-2a et 5.7-8.9-10.11 (R: 1)

R Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

- 1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: »Dóminus meus es tu.«
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui detínes sortem meam. – **R**
- 7 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. – **R**
- 9 Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
- 10 Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno,
nac dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. – **R**
- 11 Notas mihi faciés vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in délixtera tua usque in finem. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Mt 5,3

Allelúia.

Beáti páuperes spiritú,
quóniam ipsórum est régnum cælórum.

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 13,44-46

Vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis:

- 44** **Símile est Régnum cælórum**
thesaúro abscóndito in ágro;
quem qui invénit homo,
abscóndit,
et præ gaúdio illíus vádit,
et véndit univérssa quæ hábet,
et émit ágrum illum.
- 45** **Iterum símile est Régnum cælórum**
hómíni negotiátóri quærénti bónas margarítas;
46 **invénta autem una pretiósá margaríta,**
ábiit,
et vendídít ómnia quæ hábuit,
et émit eam.

Verbum Dómini.

Die 30 iunii

S. OTTONIS, EPISCOPI BABENBERGENSIS

LECTIO PRIMA Ez 34,11-16

Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam.

Léctio

libri Ezechiélis prophétæ.

- 11** **Hæc dicit Dóminus Deus:**
Ecce ego ipse requíram oves meas
et visitábo eas:
- 12** **sicut vísitat pastor gregem suum**
in die quando fúerit
in médio óvium suárum dissipátárum,
sic visitábo oves meas
et liberábo eas de ómnibus locis,
in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calígínis,
et edúcam eas de pópulis
- 13** **et congregábo eas de terris**

et indúcam eas in terram suam
et pascam eas in móntibus Israel,
in rivis et in cunctis sédibus terræ;

14 in páscuis ubérrimis pascam eas,
et in móntibus excélsis Israel erunt páscua eárum;
ibi requiéscent in herbis viréntibus,
et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Isreal.

15 Ego pascam oves meas
et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

16 Quod períerat requíram,
et quod abiéctum erat redúcam,
et quod confráctum fúerat alligábo,
et quod infirmum fúerat consolidábo,
et quod pingue et forte custódiam,
et pascam illas in iudício.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 22,1-3a.3b-4.5.6 (R: 1)

R Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit. – **R**

Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non tímébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculo tuus
ipsa me consoláta sunt. – **R**

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. – **R**

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
óm nibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Io 10,14

Allelúia.

**Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,
et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.**

Allelúia.

EVANGELIUM Io 10,11-16

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore:

Dixit Jesus:

11 Ego sum pastor bonus.

Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis.

12 Mercenárius autem

**et qui non est pastor,
cuius non sunt oves própriæ,
videt lupum veniéntem
et dimíttit oves et fugit,
et lupus rapit et dispérgit oves.**

Mercenárius autem fugit,

**13 quia mercenárius est
et non pértinet ad eum de óvibus.**

14 Ego sum pastor bonus,

**et cognósco meas,
et cognóscunt me meæ.**

15 Sicut novit me Pater,

**et ego agnósco Patrem;
et ánimam meam pono pro óvibus meis.**

16 Et álias oves hábeo,

**quæ non sunt ex hoc ovíli,
et illas opórtet me addúcere,
et vocem meam áudiant,
et fiet unum ovíle et unus pastor.**

Verbum Dómini.

Die 8 iulii

S. DISIBODI, EREMITAE

LECTIO PRIMA Phil 3,8-14

Ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.

Lectio

Epistolae beati Pauli apostoli ad Philippenses.

Fratres:

- 8 Existimo omnia detrimentum esse
propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei,
propter quem omnia detrimentum feci
et arbitror ut stercora,
ut Christum lucrificiam,
9 et inveniar in illo
non habens meam iustitiam,
quae ex lege est;
sed illam,
quae ex fide est Christi Iesu,
quae ex Deo est iustitia in fide;
- 10 ad cognoscendum illum
et virtutem resurrectionis eius
et societatem passionum illius,

configuratus morti eius,
11 si quo modo occurram ad resurrectionem quae est ex mortuis.
- 12 Non quod iam acciperim
aut iam perfectus sim;
sequor autem,
si quo modo comprehendam
in quo et comprehensus sum a Christo Iesu.
- 13 Fratres,
ego me non arbitror comprehensisse.
Unum autem:
quae quidem retro sunt obliviscens,
ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum,
14 ad destinatum persequor,
ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 14,2-3ab.3cd-4ab.5 (R: vgl. 1b)

R Iustus requiescet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Qui ingreditur sine mácula, et operatur iustítiam;
3 qui lóquitur veritátem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua. – **R**

Nec fecit próximo suo malum,
et oppróbrium non íntulit próximo suo.

4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malignus,
timéntes autem Dóminum glorificat. – **R**

5 Qui pécuniam suam non dedit ad usúram,
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Io 8,12b

Allelúia.

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 5,13-16

Vos estis lux mundi.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus discípuis suis:

13 Vos estis sal terræ;
quod si sal evanúerit,
in quo saliétur?
Ad níhilum valet ultra,
nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

14 Vos estis lux mundi.
Non potest cívitas abscóndi
supra montem pósita.

15 Neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio,
sed super candelábrum,
ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

16 Sic lúceat lux vestra coram homínibus,
ut vídeant ópera vestra bona,

et glorificent Patrem vestrum,
qui in cælis est.

Verbum Dómini.

Die 15 iulii

B. BERNARDI, BADENIAE MARCHIONIS

LECTIO PRIMA I Pt 4,7b-11

Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.

Léctio

Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli.

Caríssimi:

7b Estóte prudéntes et vigiláte in oratió nibus.

8 Ante ómnia autem,
mútuam in vobismetípsis caritátem contínuam habéntes,
quia cáritas óperit multitudínem peccatórum.

9 Hospitáles ínvicem sine murmuratione;
10 unusquisque, sicut accépit grátiam, in altéru trum illam administrátes,
sicut boni dispensatóres multifórmis grátiae Dei.

11 Si quis lóquitur,
quasi sermónes Dei;
si quis minístrat,
tamquam ex virtúte quam adminístrat Deus,
ut in ómnibus honorificétur Deus per Iesum Christum,
cui est glória et impérium in sæcula sæculórum.
Amen.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 118,9.10.11.12.13.14 (R: 12b)

R Doce me, Dómine, iustificatiónes tuas.

9 In quo mundábit adulescéntior viam suam?
In custodiénd o sermónes tuos. – **R**

- 10 In toto corde meo exquisívi te,
ne erráre me fácias a præcéptis tuis. – R
- 11 In corde meo abscóndi elóquia tua,
ut non peccem tibi. – R
- 12 Benedíctus es, Dómine;
doce me iustificatiónes tuas. – R
- 13 In lábiis meis
numerávi ómnia iudícia oris tui. – R
- 14 In via testimoniórum tuórum delectátus sum
sicut in ómnibus divítiis. – R

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Mt 16,24

Allelúia.

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me.

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 16,24-27

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis:

- 24 Si quis vult post me veníre,
ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam,
et sequátur me.
- 25 Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere,
perdet eam;
quí autem perdíderit ánimam suam propter me,
invéniet eam.
- 26 Quid enim prodest hómíni, si mundum univérsum lucrétur,
ánimæ vero suæ detriméntum patiátur?
aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua?
- 27 Fílius enim hómínis
ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis,

et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Verbum Dómní.

Die 1 augusti

S. PETRI FABRI, PRESBYTERI

LECTIO PRIMA II Cor 5,14-20

Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.

Léctio

Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios.

Fratres:

- 14 **Cáritas Christi urget nos;**
æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est,
ergo omnes mórtui sunt,
- 15 **et pro ómnibus mórtuus est Christus,**
ut et qui vivunt iam non sibi vivant,
sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit.
- 16 **Itaque nos**
ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem;
et si cognóvimus secúndum carnem Christum,
sed nunc iam non nóvimus.
- 17 **Si qua ergo in Christo nova creatúra,**
vétera transiérunt:
ecce facta sunt ómnia nova;
- 18 **omnia autem ex Deo,**
qui nos reconciliávit sibi per Christum,
et dedit nobis ministérium reconciliatiónis.
- 19 **Quóniam quidem Deus erat**
in Christo mundum reconcílians sibi,
non réputans illis delícta ipsórum,
et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.
- 20 **Pro Christo ergo legatióne fúngimur,**
tamquam Deo exhortánte per nos.
Obsecrámus pro Christo:

reconciliámini Deo.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 15,1-2a et 5.7-8. 11 (R: cf. 5a)

R Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

- 1** Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. – **R**
- 7** Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. – **R**
- 11** Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in délixtera tua usque in finem. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Io 15,9b.5b

Allelúia.

Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum.

Allelúia.

EVANGELIUM Io 17,20-26

Volo ut ubi sum ego et illi sint mecum.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum,
orávit dicens:

- 20** Pater sancte, non pro eis rogo tantum,
sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me;
- 21** ut omnes unum sint,
sicut tu, Pater, in me, et ego in te,
ut et ipsi in nobis unum sint,

- ut credat mundus quia tu me misísti.
- 22 Et ego claritátem,
quam dedísti mihi,
dedi eis,
ut sint unum sicut et nos unum sumus.
- 23 Ego in eis, et tu in me,
ut sint consummáti in unum,
et cognóscat mundus
quia tu me misísti
et dilexísti eos, sicut et me dilexísti.
- 24 Pater, quos dedísti mihi, volo ut,
ubi sum ego, et illi sint mecum,
ut vídeant claritátem meam,
quam dedísti mihi;
quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.
- 25 Pater iuste, mundus te non cognóvit;
ego autem te cognóvi,
et hi cognovérunt quia tu me misísti.
- 26 Et notum feci eis nomen tuum,
et notum fáciam,
ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit,
et ego in ipsis.

Verbum Dómini.

Die 9 augusti

**S. TERESIAE BENEDICTAE A CRUCE (EDITH STEIN)
MARTYRIS ET RELIGIOSAE, PATRONAE EUROPAE**

Festum

LECTIO PRIMA Est 4,17n.p-r.aa-bb.gg-hh

Non habenti defensorem praeter te, Domine.

Léctio
libri Esther.

In diébus illis:

17n **Esther quoque regína confúgit**

ad Dóminum pavens periculum mórtis,
quod imminébat.

17p Et cécidit super terram cum ancíllis suis a mane usque ad vésperam
et dixit:

17q Deus Abraham et Deus Ísaac et Deus Iácob, benedíctus es.
Súffraga mihi soli et non habénti defensórem præter te, Dómine,
17r quóniam periculum in manu mea est.

17aa Ego audívi ex líbris maiórum meórum, Dómine,
quóniam tu ómnes complacéntes tibi líberas, Dómine,
usque in finem.

17bb Et nunc adiúva me solitárium
et néminem habéntem nisi te, Dómine, Deus meus.

17gg Et nunc subvéni orphánæ mihi
et verbum concínnum da in os meum in conspectú leónis
et gratam me fac córam eo
et convérte cor eius in ódium oppugnántis nos,
in perditiónem eius et eórum,
qui conséntiunt ei.

17hh Nos autem líbera de manu inimicórum nostrórum;
convérte lúctum nóstrum in lætítiam
et dolóres nostros in sanitátem.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 30,3cd-4.6 et 8ab.16bc-17 (R: vgl. 6a)

R In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

3 Esto mihi in rupem præsidii et in domum munitam,
ut salvum me fácias.

4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. – **R**

6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis.

8 Exsultábo et lætábor in misericórdia tua,
quóniam respexísti humilitátem meam. – **R**

16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persecúentibus me;

17 illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Cf. Io 4,24

Allelúia.

**Pater veros adoratóres quærit,
qui adórent eum in spírítu et veritáte.**

Allelúia.

EVANGELIUM Io 4,19-24

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore:

- 19 Múlier Samaritána dicit Iesu:
Dómine, vídeo quia prophéta es tu.**
- 20 Patres nostri in monte hoc adoravérunt,
et vos dicitis quia Ierosólymis est locus
ubi adoráre opórtet.**
- 21 Dicit ei Iesus:
Múlier, crede mihi quia venit hora,
quando nequE in monte hoc,
neque in Ierosólymis adorábitis Patrem.**
- 22 Vos adorátis quod nescítis,
nos adorámus quod scimus,
quia salus ex Iudæis est.**
- 23 Sed venit hora et nunc est,
quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spírítu et veritáte.
Nam et Pater tales quærit qui adórent eum.**
- 24 Spírítus est Deus,
et eos, qui adórant eum,
in spírítu et veritáte opórtet adorare.**

Verbum Dómini.

Die 15 augusti

IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS,
PATRONAE DIOECESIS SPIRENSIS

Solemnitas

De proprio de sanctis.

Die 10 septembris

S. THEODARDI, EPISCOPI ET MARTYRIS

PRIMA LECTIO II Cor 6,4-10

Quasi morientes, et ecce vivimus.

Lectio

Epistolae secundae beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres:

- 4 In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros
in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis,
5 in plagis, in carceribus, in seditionibus,
in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis,
6 in castitate, in scientia,
in longanimitate, in suavitate,
in Spiritu Sancto, in caritate non ficta,
7 in verbo veritatis, in virtute Dei,
per arma iustitiae
a dextris et a sinistris,
8 per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam;
ut seductores,
et veraces;
9 sicut qui ignoti,
et cogniti;
quasi morientes,
et ecce vivimus;
ut castigati,
et non mortificati;
10 quasi tristes,
semper autem gaudentes;

sicut egéntes,
multos autem locupletántes;
tamquam nihil habéntes,
et ómnia possidéntes.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 125,1-2ab.2cd-3.4-5.6 (R: 3)

R Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes.

- 1** In converténdo Dóminus capivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.
- 2** Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatíone. – **R**

Tunc dicébant inter gentes:
„Magnificávit Dóminus fácere cum eis“.

- 3** Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes. – **R**
- 4** Convérte, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in Austro.
- 5** Qui sémant in lácrimis,
in exsultatíone metent. – **R**
- 6** Eúntes ibant et flebant,
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatíone
portántes manípulos suos. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Mt 5,10

Allelúia.

Beáti qui persecutióne patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 10,22-25a

Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus discipulis suis:

- 22** Eritis ódio ómnibus propter nomen meum;
qui autem perseveráverit usque in finem,
hic salvus erit.
- 23** Cum autem persequéntur vos in civitáte ista,
fúgite in áliam.
Amen dico vobis,
non consummábitis civitátes Israel,
donec véniat Fílius hóminis.
- 24** Non est discipulis super magístrum,
nec servus super dóminum suum.
- 25a** Súfficit discipulo
ut sit sicut magíster eius,
et servo
sicut dóminus eius.

Verbum Dómini.

Die 17 septembris

S. HILDEGARDIS, ABBATISSAE

LECTIO PRIMA Sap 8,1-6

Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea

Léctio
libri Sapiéntiæ.

- 1** Sapiéntiam adtíngit enim
a fine usque ad finem fórtiter
et dispónit ómnia suáviter.
- 2** Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea
et quæsivi spónsam mihi adsúmere
et amátor factus sum formæ illíus.
- 3** Generositátem gloríficat contubernium habens Dei
sed et ómnium Dóminus diléxit illam.
- 4** Dóctrix est enim disciplínæ Dei
et electrix óperum illíus.

- 5 **Et si divítiae appetúntur in víta
quid sapiéntiae locuplétius
quæ ómnia operátur?**
- 6 **Si autem sénsus operátur
quis hórum, quæ sunt magis quam illa est ártifex?**

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 44,11-12.14-15.16-17 (R: 11a)

R Audi, filia, et vide, et inclína aurem tuam.

- 11 **Audi, filia, et vide, et inclína aurem tuam,
et obliviscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. – R**
- 14 **Gloriósa nimis fília regis intrínsecus,
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius, afférúntur tibi. – R**
- 16 **Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi filii;
constítues eos príncipes super omnem terram. – R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Mt 5,8

Allelúia.

**Beáti mundo corde,
quóniam ipsi Deum vidébunt.**

Allelúia.

EVANGELIUM Mt 25,1-13

Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore:

Dixit Iesus discíplis suis parábolam hanc:

- 1 **Símile erit regnum cælórum decem virgínibus,
quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ.
2 Quinque autem ex eis erant fátuæ**

et quinque prudéntes;

- 3 sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus,
non sumpsérunt óleum secum;
- 4 prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus.
- 5 Moram autem faciénte sponso,
dormitavérunt omnes et dormiérunt.
- 6 Média autem nocte clamor factus est:
Ecce sponsus venit:
exíte óbviám ei.
- 7 Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ,
et ornavérunt lámpades suas.
- 8 Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt:
Date nobis de óleo vestro,
quia lámpades nostræ exstinguúntur.
- 9 Respondérunt prudéntes dicéntes:
Ne forte non sufficiat nobis et vobis,
ite pótius ad vendéntes
et émite vobis.
- 10 Dum autem irent émere,
venit sponsus,
et quæ parátæ erant
intravérunt cum eo ad núptias,
et clausa est iánua.
- 11 Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines dicéntes:
Dómine, Dómine, áperi nobis.
- 12 At ille, respóndens ait:
Amen dico vobis, néscio vos.
- 13 Vigiláte itaque,
quia nescítis diem neque horam.

Verbum Dómini.

Die 5 octobris

IN DEDICATIONE ECCLESIAE CATHEDRALIS

**In ecclesia cathedrali: Solemnitas
In aliis ecclesiis diocesis Spirensis: Festum**

Die 3 novembris

S. PIRMINII, ABBATIS ET EPISCOPI

LECTIO PRIMA Eph 3,2-3a.5-11

Nunc revelatum est gentes esse coheredes promissionis.

Léctio

Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios.

Fratres:

- 2** Audístis dispensatióem grátiae Dei,
quæ data est mihi in vobis;
- 3a** quóniam secúndum revelatióem notum mihi factum est sacraméntum
- 5** quod áliis generatióibus non est ágnitum fíliis hóminum,
sícuti nunc revélatum est sanctis Apóstolis eius
et Prophétis in Spíritu:
- 6** gentes esse coherédes
et concorporáles
et compartícipes promissiónis eius in Christo Iesu
per Evangélium,
- 7** cuius factus sum miníster
secúndum donum grátiae Dei,
quæ data est mihi secúndum operatióem virtútis eius.
- 8** Mihi ómnium sanctórum mínimo
data est grátia hæc,
in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi,
- 9** er illumináre omnes
quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo,
qui ómnia creávit;
- 10** ut innotéscat principátibus
et potestátibus in cæléstibus
per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei,
- 11** secúndum præfinitióem sæculórum
quam fecit in Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 66,2-3.5.6 et 8 (R: 4)

R Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos.

3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. – **R**

5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. – **R**

6 Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

8 Benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Io 8,12

Allelúia.

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me habébit lumen vitæ.

Allelúia.

EVANGELIUM Lc 9,57-62

Sequar te quocumque ieris.

+Léctio sancti Evangélli secúndum Lucam.

In illo témpore:

57 Ambulántibus Iesu et discípulis suis in via,
dixit quidam ad illum:

Sequar te quocúmque íeris.

58 Dixit illi Iesus:

Vulpes fóveas habent, et vólucres cæli nidos;
Fílius autem hóminis non habet
ubi caput reclínet.

59 Ait autem ad álterum:

Séquere me.

Ille autem dixit:

Dómine, permítte mihi primum ire et sepelíre patrem meum.

60 **Dixítque ei Iesus:**
Sine ut mórtui sepéliant mórtuos suos;
tu autem vade et annúntia regnum Dei.

61 **Et ait alter:**
Sequar te, Dómine,
sed permítte mihi primum renuntiáre his
quæ domi sunt.

62 **Ait ad illum Iesus:**
Nemo mittens manum suam ad arátrum,
et respíciens retro,
aptus est regno Dei.

Verbum Dómini.

Die 3 novembris

B. RUPERTI MAYER, PRESBYTERI

LECTIO PRIMA II Tim 4,1-5

Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.

Léctio

Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum.

Caríssime:

- 1 **Testíficor coram Deo et Iesu Christo,**
qui iudicatúrus est vivos et mórtuos,
per advéntum ipsíus et regnum eius;
- 2 **prædica verbum,**
insta oportúne, importúne,
árgue, óbsecra, íncepa
in omni patiénta et doctrína.
- 3 **Erit enim tempus,**
cum sanam doctrínam non sustinébunt,
sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros,
pruriéntes áuribus,
- 4 **et veritáte quidem audítum avértent,**
ad fábulas autem converténtur.
- 5 **Tu vero vígila, in ómnibus labóra,**

opus fac evangelistæ,
ministérium tuum imple,
sóbríus esto.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 116,1.2 (R vgl. Mc 16,15)

R Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium.

- 1** Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli. – **R**
- 2** quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum. – **R**

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Io 10,14

Allelúia.

Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognóscó oves meas, et cognóscunt me meæ.

Allelúia.

EVANGELIUM Io 10,11-16

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

+Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore:

Dixit Jesus:

- 11** Ego sum pastor bonus.
Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis.
- 12** Mercenárius autem
et qui non est pastor,
cuius non sunt oves própriae,
videt lupum veniéntem
et dimíttit oves et fugit,
et lupus rapit et dispérgit oves.
Mercenárius autem fugit,
- 13** quia mercenárius est
et non pértinet ad eum de óvibus.
- 14** Ego sum pastor bonus,

et cognósco meas,
et cognóscunt me meæ.

15 Sicut novit me Pater,
et ego agnósco Patrem;
et ánimam meam pono pro óvibus meis.

16 Et álias oves hábeo,
quæ non sunt ex hoc ovíli,
et illas opórtet me addúcere,
et vocem meam áudient,
et fiet unum ovíle et unus pastor.

Verbum Dómini.

Die 18 novembris

In ecclesiae consecratis, quarum dies consecrationis ignoratur:

IN DEDICATIONE ECCLESIAE PROPRIAE

Omnia de Communi dedicationis ecclesiae.

Die 4 decembris

B. ADOLPHI KOLPING, PRESBYTERI

De Commune Pastorum.